

Quod quidem, si idem est, ac se collocare in cathedra, occupare cathedram, post praeuiam publicae auctoritatis admissionem, verum; si vero idem, quod, citra vocationem, mediatam saltem, in officium seipsum ingerere, falsum est, atque sic negat id, quod GERHARDVS, HVNNIVS, SCHMIDIVS, BARRADIVS, ARETIVS, alii communiter largiuntur. II. *Donorum gratiae Spiritus S. supernaturalium, saltem administrantium, collationem.* Si enim Deus reges, & principes singularibus saepe animi dotibus instruit, idoneosque, ad felicem rerum publicarum administrationem, facit: quanto magis eos, quos, ad tenendum ecclesiae clauum, & obeundas sacras diuinasque functiones, non modo destinauerat, sed & admiserat, donis, non qualibuscunque, & naturalibus, sed ad supernaturales effectus edendos aptis, adeoque supernaturalibus, auctos a Deo fuisse, credendum est, quippe sine quibus non magis, ad tractandas res sacras, idonei fuissent, quam, ad perficiendas actiones ciuiles, sine viribus naturae. Constituti erant, per inuestituram, *συνεργοὶ τοῦ Θεοῦ*, coadiutores Dei, I. Cor. III, 9. & *οἰκονόμοι μυστηρίων Θεοῦ* dispensatores mysteriorum Dei, I. Cor. IV, 1. *ἐνεργεία* itaque, virtute cum Deo operandi, & mysteria diuina dispensandi, praeditos fuisse, necesse est. At enim vero *ἐνεργείαν* illam conferre non potuit NATVRA; cur non? ideo, quia inter virtutem naturalem, & effectum supernaturalem nulla, nulla inquam, datur, nec fingi animo vlla potest proportio: quid itaque? GRATIA. Neque enim somniandum est, sacerdotes V. T. & doctores alios, histriones tantum, & psittacos, ut LYSIO *in Synops. p. 46.* videtur, aut laniones, qui pecudes tantum, proprii commodi causa, aut propter nudam, & superstitiosam rituum antiquorum obseruationem, mactassent, vel propositiones, memoriae mandatas, a se autem non intellectas, coram populo, recitassent, fuisse. Longe
 B excel-